

203

201

207

197

212

192

252

152

302

102

Ende

Anfang

192

De his gloriosis Sanctis et de illa ecclesia et civitate plurimum delector audire, legere, scribere, cogitare et loqui, cum, teste religioso Hugone, natale solum dulcedine cunctos ducat, et immemores non sinat esse sui. Sum enim natus in illa civitate Turicensi et renatus fonte baptismatis ad tumbas sanctorum martyrum et consors nominis factus Felix et Sancto Felici sum votatus siveque ipsis Sanctis et loco affectus. Et profecto gaudeo, quando me recolo fuisse in regione, ubi praedicti Sancti ortum habuerunt, in Theba Aegypti, et ubi fidem Christi et baptismum suscepereunt in Jerusalem civitate sancta, et in loco, ubi confirmationem in fide acceperunt, hoc est, in Roma, et in loco in quo ab hoc mundo cum palma martyrii emigraverunt ad coelum, hoc est Thuregum.

Praeter hos autem sanctos Aegyptios evaserunt plurimi de legione Thebea, qui diversas Germaniae partes vita, doctrina, et miraculis decoraverunt, ut sancta virgo Verona Zurzachum, Sanctus Ursus Solodurum, S. Gereon cum sociis Coloniam. De pluribus etiam martyribus in Aegypto occisis habetur in Spec. Histor. L. XIII. C. 23. Sed et Diocletiana persecutio in tantum in Aegyptum desaevit, quod eam undique sanguine martyrum consecravit. Et tantum de illo.

Secundo Aegyptus clarissimis et multis abundavit doctoribus prae aliis regionibus, tam ante Christum, quam post, maxime tamen post Christum. Scimus in illa regione deguisse Abraham, Isaac, Jacob cum filiis suis patriarchis, scientiarum non ignaros, sed illuminatos.

Ibi rex fuit quidam Philadelphus studiosissimus et librorum totus cupidus, qui ordinavit quandam nomine Demetrium, qui omnia per universam terram inventa volumina transscribi faceret, et collegit XX millia volumina de dictis philosophorum et gentilium. Cumque adhuc pro libris aliis aestuaret, dixit sibi Demetrius, quod si acquiescere vellet et Judaeos, quos praedecessor suus de Judaea in Aegyptum (¶) transtulerat captivos, liberos abire permitteret, in brevi posset habere quinquaginta millia libros, cumque rex quaereret, quomodo hoc fieri posset per liberationem Judaeorum, dixit sibi, quod in Jerusalem esset liber legis a Deo editae et digito Dei conscriptae, tantae sanctitatis, quod nemo eam posset in aliam linguam transferre, nisi cultores ejusdem

